

In Libro Numerorum

§§ 9-12

9. Hi cum diaconibus in primo gradu secundi ordinis ecclesiastice hierarchie collocantur¹, existentes purgatores eorum qui in primo ordine ecclesiastice hierarchie per tres distinctiones positi sunt,² in cuius prima distinctione sunt penitentes exclusi ab ecclesia et non admissi ad quedam ecclesiastica sacramenta. In secunda distinctione sunt boni seculares admissi in ecclesia ad sacramenta. In tertia distinctione sunt professores religionis qui rebus secularibus abrenuntiauerunt ut per asperitatem penitentiae in obseruantia uite regularis a sordibus peccati purgentur³. In ordine igitur ecclesiastice hierarchie, post collocatos predicto modo in triplici distinctione infimi ordinis in ecclesia adhuc purgandos per penitentiam, proximi collocantur subdiacones et diacones tamquam iam purgati, et inferiorum adhuc per penitentiam purgandorum purgatores. Vnde, cum superiores in omni hierarchia habere debeant quod habent inferiores, aut similiter illis aut proportionaliter et excellentius,⁴ infimi in sacris ordinibus constituti debent pollere omnibus quibus pollet uita religiosorum; unde religiosi sunt aut similiter aut excellentius, quod etiam ex eorum patet officio, cum ipsi sint purgatores, quod esse non possunt nisi iam purgati, ut supra tactum est. Et quia ad eos pertinet tanta uita munditia, ideo in eorum ordinatione precipitur et oratur ut sint assidui in ecclesia, uigiles, sobrii et casti, et in sancto sacrario strenui sollicitique celestis militie ministri;⁵ super quos requiescat spiritus septiformis; quo in ministerio diuino confirmati, obediens factus atque dicto parentes, diuinam gratiam consequantur.⁶ Ministerio autem eorum quo ministrant in his que congruunt ablutioni corporali, satis congruit officium eorum spiritale quo purgatores constituuntur.

10. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus que aguntur in sacramentis Christi: in

¹Cf. Dion. Ar. *e.h.* 504A-B | ²Cf. Dion. Ar. *e.h.* 532A. | ³Cf. Dion. Ar. *e.h.* 532C | ⁴Cf. Dion. Ar. *e.h.* 508C | ⁵Cf. I Tim 1.18. | ⁶Cf. Pont. p. 63.

9.2 collocantur...3 ecclesiastice] *om. RW(et R6) ORfNX* 5 admissi] *post admissi ad. in ecclesia RR6W* | ad...7 admissi] *om. X* 9 obseruantia] *observantia ORfX : obseruanda W* 10 purgentur] *-untur K (B fort. a.c.)* 14 per...18 ordinibus] *om. Lu* 22 tactum] *dictum NRfX(non liquet O) T* 23 assidui] *om. KB* 24 sancto sacrario] *tr. RR6W : sacro sacrario TKB* 30 eorum] *eius RfN : om. W* | spiritale] *spirituale W RfN* 10.1 diaconum] *diaconem RR6W NRf(non liquet O)*